

Estque talis vel ex parte conceptus, vel ex parte rei.

Imperfecta ex parte conceptus est, quæ est ex nostri conceptus imperfectione, & rei perfectione.

Estque omnium rerum singularium, adeoque Dei, entis illius singularissimi, & cujusque individi creati.

De priori est canon.

*Dei nec est genus, nec differentia.*

Definitio essentiam rei explicat κατὰ πολυμερές, ut loquuntur. Essentia autem Dei partes nullas habet; ideoque nec genus, nec differentiam. Habet tamen quasi genus, & quasi differentiam, hoc est improprie. Nam τὸ quasi est vocabulum improprietas. Genus est analogicum, videlicet ens, substantia, vel spiritus. Differentia specifica sumitur vel ex illis differentiis primis entis, quales sunt infinitum, independens, illocale, actus purus &c. vel à proprietatibus & operationibus. Exemplum prioris est: Deus est ens independens, vel ens increatum. Posterioris exemplum hoc est: Deus est essentia una, simplex, immutabilis, immensa, æterna, omnisciens, sola bona, verax, omnipotens, beata; Pater, Filius & Spiritus sanctus; creator, redemptor, & sanctificator. Hæc descriptio est à proprietatibus, tribus personis, & operibus principalibus. Hic oritur questio, quare hæc definitio vocetur imperfecta ex parte conceptus, cum debeat potius ita appellari ex parte rei? Nam Deus ob purissimam simplicitatem nullo modo potest defini, in sese consideratus. Respon. Dicitur imperfecta ex parte conceptus, non ut innuatur, Deum posse in se consideratum defini, sed ut modus cognitionis, quæ Deum non dico comprehendimus, sed apprehendimus, significetur, hoc sensu: Definitione nos essentiam Dei quadantenus explicare conamur, καὶ ὑπολήψιν, juxta conceptum nostrum. Quia verò cōceptus noster imperfectus est, etiam definitio illa imperfecta est. Quod si conceptus noster simplex esset, nullo modo cognosceret Deum adminiculo definitionis, sed simplici intuitu. Hic

tu. Hic